Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars secunda - Cod. Aug. perg. 23

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum LXXXI

urn:nbn:de:bsz:31-41582

Visual Library

rimu delectaris fac quesumus me indignum tui conuiuii participem ut te pisce asso et pro nobis passo reficiar pro te patiendo et te pane vero sacier nunc in tua doctrina et tui corporis sacramento et tandem in eterne sanctitatis gaudio Da etiam michi domine ut tu petrus merear te diligere pro te mala perferendo et cum Iohanne a te diligi tibi inherendo et in hoc proposito usque in fine perseuerare Amen

Anno domini apparuit xi discipulis in galilea et etiam quingentis fratribus

Post hec xi discipuli abierunt in galileam secundum mandatum xpi et angeli in monte et loco ubi principaliter constitutum erat eis ubi ordinauerat se visibilem prebere illis Unde beda Iam pergens dominus ad passionem ait discipulis postquam resurrexero precedam uos in galileam Angelus quoque mulieribus ait quia precedet uos in galileam Cuius precepti iussionem magistri obedientia discipulorum obsequitur Quamuis enim supradicta apparitio ad mare tyberiadis fuit in galilea ubi est idem mare non tamen illa principaliter intendebatur cum ibi pauci scilicet septem tantum essent discipuli sed potius in qua fuit omnes erant congregati Et sicut dicitur prope montem oliueti ex parte boreali ad unum miliare est mons qui appellatur galilea et dicunt quidam quod ille est mons predictus ad quem discipuli xi abierunt non quod mons sit in galilea cum sit in iudea sed quod mons ipse appellatur galilea Alii quod magis videtur dicunt hoc fuisse in monte thabor in quo dominus transfiguratus fuit qui uere in galilea consistit Ibi enim paucis scilicet tribus discipulis ostenderat gloriam sue future resurrectionis et ideo ibi resurrectionem suam completam manifestauit omnibus suis discipulis Unde probabiliter creditur quod ibi etiam fuerunt quingenti fratres preter predictos xi discipulos et quod illa fuit manifestatio de qua ad chorinthios scribit apostolus dicens Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul hic tamen non exprimuntur nisi xi apostoli quia erant principales discipuli xpi Unde eusebius Duo enim euangeliste scilicet lucas et Iohannes scilicet hunc scribunt apparuisse ierusalem ceteri uero in galileam apparere non solum xi sed omnibus discipulis et fratribus docuerunt angelum et saluatorem iussisse de quibus et paulus meminit dicens Deinde apparuit plusquam quingentis fratribus simul hec Eusebius Quomodo autem tot fratres erant ibi cum aperte dicatur in actibus quod omnes discipuli erant in ierusalem in cenaculo congregati et non erant nisi C xx Dicendum quod omnes credentes de ierusalem cum apostolis non erant nisi C xx tamen erant credentes de aliis ciuitatibus et locis quibus simul apparere voluit ad ipsorum consolationem sicut et aliis Et ibi scilicet in monte apparuit eis dominus quia illi eum quandoque videre merebuntur in altitudine celorum qui nunc celsitudinem perfectionis ascendentes in una calcant desideria terrenorum Unde rabanus In monte quidem apparuit eis dominus ut significaret quod corpus quod de communi generis humani terra nascendo susceperat iam super omnia terrena resurgendo subleuauerat et ut admoneret fideles sic illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre hic ab infimis uoluptatibus ad superiora studeant desideria transire hec rabanus Discipuli autem dominum videntes viuum adorauerunt in aduentu suo adoratione latrie et ante cum dubitauerunt se credentes dominum deum et hominem immortalem resurrexisse Quidam autem dubitauerunt propter rei nouitatem quorum dubitatio magis tamen fecit fidem Ex quo patet quod ibi erant alii quam illi xi qui omnes iam erant certificati etiam thomas qui inter eos fuit magis incredulus Dubitatio quorundam discipulorum nostre fidei confirmatio fuit quia quo amplius dubitauerunt eo sollicitius inquisierunt et quo uerius probauerunt eo firmius crediderunt et non solum nostram fidem corroborauerunt sed etiam hereticorum vesaniam destruxerunt Cuius autem et clemens dominus

hec argumenta lucas scribens hystoriam actuum apostolorum et alia. Sunt enim argumenta vere resurrectionis quod per dies xl multiformiter apparuit eis sed quod in scriptura mencio fit decies plures apparuit exhibendo se oculis videndum et manibus palpandum cum eis comedendo et bibendo sicut ante consueverat ut resurrectionem suam pluribus modis ostenderet. Vel ad demonstrandam gloriam sue resurrectionis non decebat eum cum illis ut prius conversari continue ne putarent ad vitam mortalem resurrexisse sed ad immortalem vitam ab hominibus huius vite separatam. Itaque non statim post resurrectionem ascendit ut multipliciter resurrectionem probaret et discipulos consolando reficeret et ut nos informaret pacienciam qua debemus equanimiter expectare mercedem nostram. Unde sicut fuit xl hore mortis eius sic quadraginta pascens(?) vespertine et xxxix diebus noctium et primis diei iiii vel diebus cum eis conversatus est post resurrectionem quia divina consolacio excedit humanam tristiciam. Pro eis fecit hoc et pro nobis sed non advertimus. Dilexit et diligit sic vehementer et non diligere eum tamen ad talem et tantum ignem non solum calefieri sed eciam ardere debemus. Unde beda: Resurrectionem suam certam et veram multis et variis documentis persuadere dignatus est christus edificandam fidem et fugandam de corde perfidiam omnem quod dubitacionem de sua resurrectione tollendam. Unde eciam hic christus dicitur triplex panis subcinericius in incarnacione versatus in resurrectione tercius in nude deitatis ostensione. Panis subcinericius est deus homo. Nam quid est deus nisi vita et panis quid est homo nisi cinis et pulvis et quod est in una persona deus latens et homo patens nisi panis subcinericius. Panis enim subcinericius est panis sub cinere deus latens sub homine et hoc erat christus ante resurrectionem. Panis versatus est converso homo deus post resurrectionem. Prius enim quasi cinis panem occultavit

post vero quasi panis cinerem celavit quando enim habuit corpus glorificatum tunc humanitas in eo quasi celata fuit. Unde ante passionem humanitas in eo manifesta fuit deus latebat et ideo tunc per miracula et predicacionem deitatem probare et mundo ostendere oportebat. Post resurrectionem vero magis probacioni humanitatis quam divinitatis insistebat. Unde tunc visu tactu esu et multis aliis argumentis se vere esse hominem approbabat. Panis tercius sine omni cinere est sine furfure sine contagmate sed de simila purissima hec est nuda deitas. Hic panis est deus deus. Nam devocioni non sufficit semel dicere deus vox enim devota est deus deus meus. Hoc facit mihi deus et hoc addit ut sit deus deus meus. Quid enim prodesset mihi deus si non sit deus meus. Hec hec. Et sciendum quod non iniquis hominibus et mundi amatoribus sed solis apostolis aliis quod fidelibus post resurrectionem suam salvatorem apparuisse legimus. Neque enim conveniens erat ut christus a mortuis resurgens factus quasi iam celestis et immortalis miseris hominibus seculo mortuis et a vita que christus est separatis se manifestaret. Unde et ante dixerat adhuc modicum et mundus sic qui me me videt oculis carnis iam me non videt vos autem videbitis me. Unde theophilus: Certe non conversabatur inter plebem quia sic post resurrectionem conversacio eius non erat cum hominibus sed divina magis quod eciam est forma resurrectionis future in qua sicut angeli conversabimur et filii dei. Hec theophilus. Manifestavit autem se discipulis suis et aliis fidelibus ut vivus videretur a viventibus. Unde dicit augustinus quod qui surrexit non est visus nisi a suis. Unde et in actibus: Hunc deus suscitavit tercia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo sed testibus preordinatis a deo nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. Fuit autem conveniens quod non omnibus sed testi-

bus tamen preordinatis racionem suam manifestaret quia infima per media reducit in suprema. et ideo quosdam mediatores elegit per quos universo orbi eius manifestari posset. Qui ergo dominus per dies xl multiformiter apparens discipulis ac eciam laqueis quibusdam cunctis et argumentis nos illuminavit ad fidem et promissis erexit ad spem ut sic tandem donis celestibus accenderet ad amorem. Quia scilicet in tercio ostendit immortalitatem mortalibus ad graciam cunctorum debitam ut intelligamus quid fuimus et quam sumus quod futuri erimus. De misterio autem predictarum apparicionum et circa sequencia sic dicit beda. Hac quippe frequencia corporalis sue manifestacionis ostendere voluit dominus in omni loco se bonorum desideriis presentem esse divinitus. Apparuit namque ad monumentum lugentibus feminis. adest et nobis eius absencie recordacione salubriter contristatis. Occurrit revertentibus a monumento ut gaudia resurrectionis predicarent. adest et nobis dum bona que novimus proximis fideliter annunciare gaudemus. Apparuit in fraccione panis hiis qui peregrinum esse putantes ad hospicium vocaverunt. adest et nobis cum peregrinis et pauperibus quecumque possumus bona libenter impendimus. adest et nobis in fraccione panis cum sacramentum corporis eius videlicet panis et vini casta ac simplici consciencia sumimus. Apparuit in abdito de sua resurrectione loquentibus. adest et nobis qui modo eius dono idem agimus. adest et nobis si cum ab exterioribus operibus ad tempus vacantes de eius gracia locuturi convenimus. Apparuit cum foribus clausis intus iudeorum metu residerent. apparuit cum in memorato eodem metu apertis cum gressibus in montis verticem quererent. Affuit quondam confortaturus suo spiritu eciam cum ab infidelibus premeret et ad publicum venire ac dila-

tare prohibetur. adest eidem et nunc cum inclinato ad fidem culmine regali tranquillior [?] quievit persecucionibus et omnis mundi sublimitas apicibus est substrata vestigiis. Apparuit piscatoribus eos quoque apparens divinis adiuvit beneficiis. adest et nobis cum in terrena vite temporalis cura intencione curamus usus eius nostris laboribus subsidium adiungit sue pietatis. Apparuit recumbentibus. Adest et nobis cum iuxta apostoli monita sive manducamus sive bibimus sive aliud quid agimus omnia in gloriam dei facimus. Apparuit primo in iudea deinde in galilea post hec in iudea rursum die quo ascendit in celum. adeat ecclesie cum primo solius iudee tamen clauderet. adest modo cum iudeis ob culpam perfidie derelictis transmigravit ad gentes et aderit in futuro cum ante finem seculi convertetur ad iudeam et sicut apostolus ait intrante gencium multitudine sic omnis israel salvus erit. Novissime apparuit illis ascendens in celum. aderit et nobis ut eum post mortem ad celos sequi mereamur si ante mortem eum in bethaniam unde ascendit id est in domum obediencie sequi curamus. Ipse enim celum ascensurus bethaniam venit quia sicut apostolus ait factus est obediens usque ad mortem mortem autem crucis propter quod et deus illum exaltavit. Veniamus ibidem et nos si quod ille monet agimus quod promisit intendimus. Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vite. Sic spiritus gracia largiente ut qui nobiscum usque ad vite huius terminum manet post hanc nos vitam ad videndam secum vite celestis premia sublevet. hec beda. Habuit ergo quadragesimam sic quinquagesimam nobis sacravit et nos utraque sollempnitate mistice instituit de quibus simul beda sic ait. Utramque sane hanc sollempnitatem hoc est xl et quinquagesime non quorumlibet hominum sed ipsius domini ac salvatoris nostri

Forma nobis sanxit auctoritas xl. videlicet in eo quod diebus ac noctibus xl. ieiunavit in deserto victa quod versucia temptatoris ministeriis fruebatur angelicis ubi suo nos informavit exemplo quia per maceracionis arma adversarii spiritualis machinas cunterire et ad angelorum debeamus consorcium pervenire. Porro l. nobis gaudia in eo figuravit monstravit quod post resurrectionem se ipsum discipulis vivum in multis argumentis per dies xl. prebuit et illos sue frequencia visitacionis letabundos hoc tempus habere fecit ac festivum. In quo non solum futuri seculi gaudia que cum illo sumus habituri prefiguravit dominus eciam ineffabilem circa nos sue pietatis affectum ostendit qui deposita iam infirmitate corporis et per resurrectionem virtute in celestem gloriam commutata dignatur tamen adhuc discipulorum interesse convivio ut socios eos habere posset in celo et precepta quibus ad regnum dei perveniant vivaciter ipsa familiaritate commendet atque illius temporis memoria roboret de quo eis ante passionem suam promittendo predixerat et ego dispono vobis sicut disposuit michi pater meus regnum ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo etc. Et in celum ascendens nequaquam eis priscę sue presencie dulcedinem abstulit sed eandem pocius promisso spiritus sancti carismate cumulavit. Denique mox illi regressi sunt in iherusalem cum gaudio magno et erant semper in templo laudantes et benedicentes deum. Hoc quoque nobis gaudio ac laude et benediccione celesti quod spiritus sancti prestolabantur adventum usque ad diem quinquagesimum quem greci penthecoste appellant sollempnitatis huius leticiam docuerunt esse protelandam. Merito ergo sacrosanctis diebus hiis nos maioribus gaudiis atque hymnis celestibus vacamus ob eventuum dominice resurrectionis ob memoriam dominici convictus cum discipulis simul et ob spem future nostre

quietis ac vite immortalis etc. Et genu in oracione minime flectimus quia flexio genuum penitencie et luctus est indicium. Quod eciam omnibus dominicis diebus observandum propter eiusdem resurrectionis vel dominice vel nostre sacramenta patres instituerunt. Recte ergo quadragenario dierum numero ieiunium ante celebramus ut per hoc spiritualiter admoneamur quia quamdiu in mundo vivimus pro celestium premiorum adepcione semper laborare debeamus. Recte eciam quinquagenario dierum numero status future nostre beatitudinis in ymagine veneramur ieiunia videlicet relaxando alleluia canendo stantes orando que sunt aptissima perpetue quietis resurrectionis et laudis presagia. Hec beda. Oracio

Domine ihesu christe per gloriosam resurreccionem tuam qua discipulis et fidelibus tuis vivus et immortalis apparuisti per gratissimam moram et colloquia dulcissima que cum eis per xl. dies habuisti in quibus multis argumentis apparens eis et loquens de regno dei eos quoque confortans et cum eis convescens ut resurrectionem veram in te probaret et crederent totalem dubitacionem de ipsorum cordibus abstulisti obsecro te ihesu bone et pie da michi inter testes preordinatos a deo testem fieri resurrectionis tue non lingua tantum et verbo sed opere et veritate. Amen

De ascensione dni nri ihu xpi. ca^m lxxxvi

Circa ascensionem dominicam te vigilem esse oportet nam licet sollempnitas valde sollempnis est ut infra patebit. Et saltem hec ad attencionem te animet aplius quod nunc dominus completo sue peregrinacionis cursu est presencia corporali recessurus unde ipsius verba et facta sunt attencius considerranda. Quelibet enim anima fidelis debet sponsi sui dominum deum suum in eius discessu diligentissime et vigilantissime observare et quod